



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus X. Sapientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

populi, occupationum, suam retinebit quietem, qualem in Monasteriis maximè solitarii; dummodò seculum habitet. Did. Niss. D. 2. Adv. §. 2.

Dabit te Dominus in manu mea, & percussiam te &c. 1. Reg. 17. 46. Theodoretus q. 40. hic: Propheta autem cum esset in acie, prædicit universi orbis terræ Dei cognitionem, q. d. nihil impedimento fuit Davidi militia, quò minus Propheta esset. Did. Niss. ante cit.

Lavabo per singulas noctes lectum meum &c. Pl. 6. 7. Davidem miror, stratum sibi deligere; ut ibi sletum suum libaret Domino. Cur non sylvas, & antra? quid lacrymis eam lecto? dissidium summum; & ideo in lectulo lacrymetur. Scit ibi gratiorem fore lectum suum, ubi exarescere potuit. Oliva l. 3. Strom. §. quæ est ista.

Jubilate Deo omnis terra. Pl. 65. 1. Omnis? Judæa jubilet, in qua natus Christus? Ethiopia verò cur non jubilet? quæ tam longè abuit a vera luce? quàm propior soli est. Jubilet omnis terra: non enim felicior est, quæ felicior videtur. Natus in Judæa Christus; sed in Judæa quoque crucifixus est. Quid illi profuere salvatoris cunæ, quas patibulo funestavit? O si audissem Jesum! iniqua nonnemo; peccator non forem. Judas audivit, & vendidit; Herodes vidit, & sprexit, Caiphas agnovit, & damnavit; Longinus adfuit morituro, & confixit. Non Jesum audivisse, sed Jesum dilexisse; optandum est. Licet verò Jesum diligere etiam Sodomis. Oliva t. 2. Strom. §. Jubilate.

Ex Novo, & Patribus.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. 2. Non est sanctitas loco adstricta. Did. Niss. D. 2. adv. §. 2.

Nihil interest, ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis. Esti corpus includitur, esti caro detinetur; omnia spiritui patent. Tertull. lib. ad Martyres.

Sicut, licet quis margaritam lutò obruat, nihilominus nativam retinet pulchritudinem: sic, & virtus, quòcunq; eam projeceris, suam vim exerit; etiam in servitute, etiam in carcere, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. S. Chrysost. hom. 63. in Gen.

Si Deum benevolam habeas, licet in fornacem incidas; ne desperes. Sicut, si succenscat, licet in paradiso sis, nè confidas. S. Chrysost. hom. 4. ad pop.

Miscellanea.

Omnis gloria ejus filia regis ab intus. Pl. 44. 14. Ecclesia siquidem, vel quæque fidelis anima, quæ & ipsa sanctorum Apostolorum est filia; non extrinsecus enitescit, sed ornata gaudet in occulti Judicis obrutibus apparere. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 14.

Sperat justus in morte sua. Prov. 14. 32. Septuag. *sperat justus in sanctitate sua.*

Rem familiarem industriâ, & solertiâ, juxta leges mulieri forti à Salomone præscriptas, ita vixit, quasi pietatem colere nesciret: Deo rursus, divinisque rebus, ita sese totam adjunxit, tanquam à rerum domesticarum procuratore plurimum abesset. Neque ab alterutro horum quidquam impedita est, quò minus alterum impleat: quin potius utrumque alterius ope fulcivit, & confirmavit. S. Gregor. Naz. or. 28. de funere Patris.

Docta sanctitas sanctam rusticitatem præcellit. S. Rupertus l. 2. in Joan. 1.

Duo, sine pluribus, faciunt hominem sanctum; videlicet cognitio, & amor: hoc est, cognitio veritatis, & amor bonitatis. S. Edmundus Cant. spec. Eccl. c. 3.

TITULUS IX.

SANGUIS CHRISTI.

Percuties petram, & exibit ex ea aqua. Ex. 17. 6. Aqua, quæ de petra egressa est, typum sanguinis salvatoris præfert. B. Theod. q. 27. in Ex.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1. 2. Sanguis Christi effusus pro me, est oleum infusum in me; ut mea lethalia vulnera sanet, & peccata remittat. de Ponte hic Exh. 28. §. 2.

Introduxit me in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Alii per cellam vinariâ accipiunt altare, in hoc enim sacerdotes consecrant, hauriunt, & distribuunt, vinum

Eucharisticum, putâ sanguinem Christi. Itâ Nyssenus hom. 4. Rupert. & Paschasius apud Cornelium hic. Singulæ guttæ sanguinis sui folia sunt rosæ sanguineæ Passionis ipsius. S. Bern. de Pass. Dom. c. 4. 1.

Fuit Jesus totus floridus: quia circumdatus rosâ, id est, guttis sanguinis. S. Thom. Aqu. in festo Resurr. conc. 2.

Sanguis defluens de venis misericordiæ, venena extinguit malitiæ, & nequitia. Petrus Cell. de pane mercenar. c. 23.

TITULUS X.

SAPIENTIA.

§. I.
Figuræ, & Symbola.
Sol.

Solem in potestate dies. Pl. 135. 8. Præcipuum fidelium cordium lumen est, veniens ab iplo justitiæ sole sapientiæ; secundum autem lumen est scientiæ; quæ inter sæculi hujus obscura, dat quodammodo lunare solatium. S. Prosper Aqu. hic.

Est enim hæc speciosior sole; & super omnem dispositionem stellarum; luci comparata in ventur prior. Sap. 7. 29. Hugo Card. prior id est, dignior. hic.

Et vidi alterum angelum, & facies ejus sicut sol. Apoc. 10. 1. Quinque angelos viderat Joannes, nulliusque, faciem solis æmulam prædicavit, nisi hu-

jus. Cur? habebat in manu sua libellum apertum. v. 2. Librum in manu habet, cumq; apertum: studii, & sapientiæ, testimonium præfert. Alvarez in Gen. 37. 3.

Ut sol oculorum, sic sapientiæ lumen est cordis humani. Lactantius lib. 2. instit.

Lux.

Fiat lux. Gen. 1. 3. Lux est scientiæ, & sapientiæ. S. August. l. 1. de Gen. ad lit. c. 17. primò creata est lux, id est, prior omnium creata est sapientiæ. Cornel. hic.

Vidi, quòd tantum præcederet sapientiæ stultitiæ, quantum dissent lux à tenebris. Eccl. 2. 13. Nota: apposite sapientiæ, id est, prudentiæ, sanctitatem, confertur luci; stultitiæ verò, & imprudentiæ, & vitium, tenebris; ob multas analogias. 1. Quòd sicut lux est vera qualitas, habens

habens solidam assentiam & existentiam; tenebrae verò nil nisi lucis sunt privatio: sic & sapientia, id est, virtus, solidam habet subsistentiam; tenebrae verò, id est, vitia, virtutis sunt privatio. 2. Sicut lux fugat tenebras, & tenebrae lucem: Sic sapientiam pellit insipientia, ac virtus vitium. 3. Summa est antipathia lucis, & tenebrarum, quâ fit, ut nullam habeant societatem loci, temporis aut subjecti, juxta illud Gen. 1. 4. *divisit lucem à tenebris* & 2. Cor. 6. 14. *qua societas luci ad tenebras.* 4. Lux est qualitas nobilissima, celestis, & divina: talis est sapientia, & virtus; tenebrae verò sunt caligo horrida, infernalis, diabolica: tale vitium, & insipientia. 5. Lux dirigit omnes hominis gressus, & actiones; tenebrae verò utrumque impediunt. Sic sapientia dirigit omnes hominis operationes; quas insipientia perturbat, & evertit. Notat etiam Pineda: per lucem accipi posse solem, & diem: quia sol efficit lucem, & lux diem: per tenebras verò, noctem, & caliginem; quia eam causant. Sapientia ergo, & virtus, similis est soli, & diei; insipientia verò, & vitium, simile est nocti. Cornelius hic.

Proposui pro luce habere illam. Sap. 7.

10. Significat Salomon, se vice lucis non aliò lumine usurum, quam ipsâ sapientiâ. Sapientia enim est lux lucidissima; quæ mentem illuminat ad omnia cognoscenda, & ritè peragenda. *Latus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia,* ibid. 12. quasi dux deducens me ad omnia bona recensita, Cornelius hic.

Alia Symbola.

Lignumque scientiam boni, & mali. Gen. 2. 9. Allegoricè arbor vitæ est sapientia. Prov. 3. 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam* &c.

Isachar asinus fortis. Gen. 49. 14. Hebraei, teste Aldrovandò in asino, sapientis Symbolum dant asinum: eò quòd instar asini multa sapienter, id est, patienter, & fortiter, perferre debeat. *Vir sapiens fortis est.* Prov. 24. 5. q. d. sapientia facit fortes, & validos, ad quævis ardua, vel conficienda, vel sustinenda; licet corpore infirmi sint. Sept. *melior est sapiens fortis.* Cornelius in Prov. 24.

Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, id est, prudentiam, *multam nimis; quasi arenam, quæ est in littore maris.* 3. Reg. 4. 29. Philo l. de somn: progenies sapientiæ cum arena confertur: quia marinas undas littoralis arena objecta repercutit.

Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. A sapientia doceamur, à gratia juvemur: hæc sunt duæ manus tuæ, hæc duæ brachia tua, JESU! Petrus Cell. de pane lug. c. 13.

Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectu, & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum. Eccl. 15. 3. A cibo incipiendum est, non à potu: nisi enim homo exerceatur in dono intellectus, non proficit in potu sapientiæ. Sanct. Bonaventura l. 3. de dono intellectus.

Polyanth. Sacra, Tom. II.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano.

Eccl. 24. 17. Sanct. Hieron. in c. 14. Ol. arbores Libani, quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt; ut nullâ tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Cedro convenit immortalitas, inquit Palacios, cupresso rectitudo, palmæ victoria, platano jucunditas umbræ, olivæ pretium olei, rosæ odoris gratia. Hæc igitur universa adscribit sibi sapientia: scilicet cum sit rerum omnium celsissima, sibi convenit melior immortalitas, quàm cedro; melior rectitudo, quàm cupresso; melior vincendi potestas, quàm palmæ; melior umbra, id est, protectio, favor, & auxilium, quàm platano; odor jucundior, quàm rosæ, majus misericordiæ suæ pretium, quàm olivæ. Sapientia comparat se cedro: quia cædus inter arbores eminet primò *altitudine.* Amat montes: sic altissima est sapientia; quia ad cælos, & Deum, pertingit: docet enim celestem, & divinam, doctrinam; quæ homines faciat angelos, & deos quosdam terrestres; imò eos ad cælum evehat, ibique faciat reges, & hæredes regni Dei. Secundò *rectitudine.* Rectissima est sapientia: quia nihil dat favori, gratiæ, timori, respectui humano, sed rectissimè ad æternam veritatem, legem, voluntatem DEI, quæ omnis rectitudinis est forma, se adaptat, & conformat. Tertiò *soliditate:* cedrus enim solidissima est, & quasi ossea; sic & sapientia solida est: quia docet sequi rationes stabiles, & æternas; non temporales, & caducas. Insuper cedrus foliis non abjicit, sed perpetuâ comâ viret; medulla rubet, & odorata est. Ità viret jugiter, & suavissimè fragrat sapientia, còrque sapientis, & sancti: quia sanguine Christi respersum rubet, & ardet. Quarto *incorruptione:* cedrus enim cariem, tineam, & vetustatem, non sentit; imò res aliæ, perunctæ oleò cedrinò cariem, aut tineam, non sentiunt, ait Plinius. Quintò *duratione:* cedrus enim diutissimè durat; unde *æterna* indigitatur. Hinc cedrò digna vocantur, quæ æternitatem merentur. Sextò *fructu.* Fructum ferunt cedri, ait Plinius l. 13. c. 5. myrti magnitudine, dulci sapore. Sic fructus sapientiæ, & disciplinæ, licet initiò amarus, & asper, videatur; mox tamen dulcescit, ac tandem dulcissimus evadit. Septimò *odore:* quòd fugat, & occidit, serpentes: eaque de causâ in domibus accendi solebat. Hinc quoque libros perungebant oleò cedrinò; quia tineis illæsi integri durabant per multa sæcula. Tales fuisse libros Pythagoricos, qui defossi in terra post 535. annos integri reperti sunt; eò quòd cedratu essent, tradit Plinius l. 13. c. 13. Odorata pariter est sapientia: odor ejus est fama, & celebritas. Christi bonus odor sumus. 2. Cor. 2. 15. Octavò *medicinâ & vi medicandâ:* cedrus enim resinam habet laudatissimam, quæ variis morbis medetur, teste Pliniò lib. 24. 5. Tropologicè, & mysticè: sapientia omnes has suas dotes sapientibus sui studiosis, præsertim Doctoribus communicat; facit illos altos, rectos, solidos, incorruptos, æternos, dulces, odoratos, medicos. Cornelius hic

Hhh h 2

Vinum,

Vinum, & musca, latificant cor: & super utraque dilectio sapientie. Eccl. 40. 20. Appositè confertur, & præfertur, dilectio sapientie, vino, & muscæ: quia ipsa est spirituale vinum, mentem in ebrians; & spiritualis musca, animum oblectans. Nota: dilectio sapientie propriè est dilectio virtutis: inter virtutes autem primas tenet charitas, juxta illud Eccl. 1. 14. *dilectio Dei bonarabilis sapientia.* Cornelius hic.

Velut salis locò sapientia mihi cætera condit. S. Bernardus f. 18.

§. II.

Sapientia in quo consistat, ejus definitio.

Qui congregat in messe, filius sapiens est. Prov. 10. 5. Dicitur sapiens, cui sapiunt res, prout sunt. Hugo Card. hic. Est sapiens, cui quæque res sapiunt, prout sunt. Cui verò ipsa jam in se, prout est, sapientia sapit; is non modò sapiens, sed etiam beatus est. S. Bernardus f. 1. de verb. Apost. *non est regnum Dei esca & potus.* Rom. 14. 17. Fortè sapientia à sapore denominatur: quòd virtuti accedens, quoddam velut condimentum, sapidam reddat; quæ per se insulsa quodammodo, & aspera, sentiebatur. S. Bernardus f. 85. in Cant. Tunc est vera sapientia, quando operatio intellectus perficitur, & consummatur per quietationem, & delectationem affectus: unde sapientia dicitur, quasi sapida scientia. S. Thom. Aqu. in 2. Cor. 13. Lect. 3.

Requiescet super eum spiritus sapientie, & intellectus. II. 11. 2. spiritus sapientie, est donum, sive virtus Christiana; quæ contemplatur divina, & æterna; & secundum ea de rebus omnibus judicamus. Cornelius hic.

Primus sapientie gradus est, falsà intelligere; secundus; vera cognoscere. Lactantius, l. 1. de falsà relig. Quid est enim initium sapientie? nisi sæculo renuntiare: quia sapere sæcularia, stultitia est. S. Ambros. Octon. 5. in Pl. 118. Statue servo tuo. Nihil aliud prudentie, ac sapientie, munus accipitur; nisi inquisitio, & comprehensio, veritatis. S. Prosper Aqu. l. 3. de virt. & vit. c. 29.

Invenisti planè sapientiam, si prioris vite peccata desleas; si hujus sæculi desiderabilia parvi pendas; si æternam beatitudinem tutò desiderò concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt, prout sunt; ut hæc quidem amara, & omnino fugienda; ista quoque velut caduca, & transitoria, contemnenda: illa verò ut perfecta bona, totis appetenda desideris. S. Bernardus f. 15. de div.

Scientia omnium bonarum, & licitarum artium, est scientia; sapientia verò unius tantum rei, id est, Dei. S. Rupertus de oper. Spirit. S. l. 7. c. 1.

Prima sapientia est vita proba, & honesta. S. Greg. Naz. orat. 26. in plag. grand.

Artes artium est, servire Deo: suprema sapientia, scire bene vivere. Si hanc nosti etiam si cætera nescias, sapientissimus es: qui hanc nescit,

quidquid sciat, ignorantissimus est. S. Thom. Vill. f. 2. Dom. 2. Quadr.

Sapientia dicitur, sapida scientia: scilicet, quando quis in scientia, quam habet de Deo, invenit saporem devotionis: talis dicitur habere sapientiam. S. Vinc. Ferr. f. fer. 2. Pent.

Potes querere, quæ est divina sapientia? multi enim sunt simplices, qui nesciunt, nisi unum Pater noster, & hoc vix rectum. Alii sunt magis literaturæ, & profundæ scientiæ. Nunquid est divina sapientia? nequaquam. Divina enim sapientia non est præcisè in literaturæ, sed in corde, & bonâ vitâ: quicunque cogitat sedulè viam ad mortem, qualitatè ipsius mortis & Judicium post mortem; hic sapiens est. Revel. S. Brigittæ l. 2. c. 25. verba Chr.

§. III.

Sapientie præstantia.

Timor Domini principium sapientie. Prov. 1. 7. Pro principium Hebræum est *rescit*; quod tam principium quàm caput, & principatum, significat. Unde veritas principatus sapientie est timor Domini. *Ut addatur gratia capiti tuo.* v. 9. Sept. *ut addatur corona gratiarum.* Quòd corona, & torques, olim fuerit præmium sapientie, liquet ex Dan. 5. 16. ubi ei Balthasar promittit: *purpurâ vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis.* Sic & Pythagoram, ob insignem sapientiam, aureâ coronâ redimiri solitum, eamque publicò suffragiò illi decretam, narrat Ælianus l. 12. var. hist. c. 32. Cornelius hic.

Civitas parva, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus. Eccl. 9. 14. *inventusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam.* v. 15. Testis Archimedes, quem tantopere verebantur syraculas oppugnantes Romani; ut si vel funiculum, exiguumve lignum, ex muro conspicerent, machinam aliquam in ipsos moveri suspicarentur; & archimedes vociferantes, terga verterent, fugerentque; & cogerentur conflictu, & oppugnatione, prætermissa, in obsidione longa ipem ponere. Ità Plutarchus in vita Marcelli. Sic Judich liberavit Bethuliam occisò Holoferne c. 13. 10. Jahel Sisara Judic. 4. 18. 21. æque ac Debora ib. v. 14. Unde Gregor. Thymar: sic vertit: parvam civitatem, à paucis habitatam; magnam, & frequentatam, existimem; si vel pauperem unum sapientem civem habeat. Cornelius hic.

Melior est sapientia, quàm arma bellica. Ecclæ 9. 18. Gregor. Thymar: sapientia ferrò ipsò fortior est. Olympiod. melius est consilium cujuscunque prudentis, quàm omne consilium, quod ab armis sperari potest.

Prior omnium creata est sapientia. Eccl. 1. 4. d. sapientia præfecta est omnibus. Donata est hac dignitate, ut esset prior, & princeps omnium; ut ipsa scilicet esset idea, & exemplar, & architecta, omnium rerum creandarum. Verbum enim *creo* subinde idem est, quod præficio; ut eum dicimus: Rex creat principes, Duces, Magistratus. Sic illud Prov. 8. 22. *Domini-*
nus

nus creavit me initium viarum suarum. juxta Sept. S. Athanasium ad decreta Nicanae Synodi sic exponit; Dominus praefecit me operibus suis incipientis, rebu'sque in choandis. Cornelius hic.

Non quam facile oculis ista lux, tam facile mentibus, sapientia fidus oboritur. S. August. l. 2. contra Academicos c. 1.

Alphonfus Arag. Rex a familiaribus rogatus: qui fieri posset; ut tantarum opum Rex ad paupertatem aliquando deveniret? respondit: Si sapientia venderetur. Math. Tymp. p. 2. Menſa Theolo-Philosph.

§. IV.

Sapientia fructus.

Num. I.

Pax, concordia.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Eccl. 51. 35. Nam, ut ait Clem. Alex. l. 2. pæd. medicina medetur corporis morbis; sapientia autem perturbationibus. Ratio est: 1. Quia ut dicere solebat S. Bernardus: sapiens est, cui quæque res sapiunt prout sunt. 2. Quia semper est solutus, semper sui juris: habet animum terræ celsiorem in Deo fixum. 3. Quia sapiens futuris prospicit longè, antequam eveniant; malis partim affuescit, partim providet. Cornelius hic.

Junctæque erant penna eorum alterius ad alterum. Ezech. 1. 9. in signum pacis & concordia; ait de Cherubinibus, qui creatæ sapientia sunt exemplar. Cornelius in Jacobi 3. 17.

Habete in vobis sal; & pacem habete inter vos. Marci 9. 49. Sal significat sapientiam. Vult Christus, ut, quæ dicent Apostoli, pacatè explicent; non tumore Pharisæo, nec bile hæreticâ. Velloso in Judith 5. Paræn. 49. Sal est symbolum sapientia; hujus comes est pax. Unde & sal pificis symbolum erat amicitia. Cornelius, in Jacobi 3.

Quæ autem desursum est sapientia-pacifica. Jacobi 3. 17. Syrus: plena pace: quia vera sapientia est donum Spirit. S. qui pacis est author. Sic sapientissimus mortalium fuit Salomon pacificus. Cornelius hic.

Summus sapientia finis est; ut finis mente tranquillâ. S. Ambros. Octon. 21. in Pl. 118. Septies in die.

Num. II.

Alii fructus.

Nudum formavit hominem Deus, & inermem; ut eum sapientia & muniret, & tegetet. Munimenta, & ornatum ejus non foris, sed intus; non in corpore, sed in mente, constituit. Nisi ergo essent mala, quæ caveret; quæ a bonis, utilibusque, distingueret; non esset ei sapientia necessaria. Lactantius l. uet. div. instit.

Sapienti nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quodcumque recesserit, sua omnia, totus Mundus, possessio est: quoniam totò eò, quali suo utitur. S. Ambros. ep. 44. post initium,

§. V.

Sapientia sit practica, jungatur pietati &c.

Ad sciendam sapientiam. Prov. 1. 2. Sapientiam hic non speculativam, sed practicam accipe; quæ est cognitio Dei; ac ultimi finis, ac mediorem eò ducentium: puta legum divinarum; earumque desiderium, & amor. Disciplina verò vocatur passionum, vitiorumque, correctio, & castigatio: hæc incipientibus, illa provectis, competit. Cornelius hic.

Posside sapientiam. Prov. 4. 5. Dicitur possessio, quali pedis positio: quia in sapientia pes affectus ponendus est, non solum oculus intellectus. Sat multi habent sapientiam, sicut arca thesaurum: quæ revera non possidet; sed, qui utitur, ille possidet. Hugo Card. hic.

Sapiens timet, & declinat à malo. Prov. 14. 16. Sanct. Ambros. l. 2. offic. nulum sapientia contubernium cum vitis. Apud Tuffo in Eccl. 3. 32.

Sapiens cor, & intelligibile, abſtinebit se à peccatis. Eccl. 3. 32. Præcipuum sapientia munus, vitare peccatum. Tuffo hic.

Et duabus volabant. Il. 6. 2. Sanct. Bernardus f. 4. in verba ita ego opinor, non incongruè, pennas istas agnitionem & devotionem, intelligi posse; quibus in eum, qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur.

Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus scientia, & pietatis. Il. 11. 2. Utrumque conjunxit: quia unum sine altero captare non possumus. Apes ceram, & mel, conficiunt: cera apta lumini scientiam; mel pietatem signat. Utròque labii ad efformanda verba opus est. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Ps. 44. 3. Sapientia, & pietate, loquere. Pinna Ethol. 25.

Non gloriatur sapiens in sapientia sua: sed in hoc gloriatur scire, & nosse me. Jer. 9. 23. 24.

Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat. Lactantius. l. 3. div. instit.

Vera sapientia semper virtutem habet comitem: quia hoc magis expedit scire, quod magis expedit esse. Hugo à S. Vict. quod virtus, & veritas, simul esse volunt.

Sicut sol, super flores odoriferos lucens, majorem causat odorem: ita sapientia increata radium sapientia creatæ ad bonos, & humiles, mittens ipsos facit meliores & humiliores. Sol verò super finum, & alia foetida, lucens; quanto plus participant caloris, plus foetent: sic mali, superbi &c. Quanto plus sapientia participant, tanto foetiores. Broymard scientia.

§. VI.

Sapientia vult aliis communicari.

Sapientia edificavit sibi domum. Prov. 9. 1. Sapientia extruit quidem palatia, & convivia parat; non tamen sibi soli: imò videtur ea

Hhh h 3

omnia

omnia constituere in aliorum commodum; dum in ædes vocat, & epulas sequitur enim: *misit ancillas suas - si quis est parvulus, veniat ad me.* v. 3. 4. Puto, reginam illam ita latari in beneficiendo egentibus, vel implorantibus: quia putat sibi proprium esse, & suum maximè bonum, quod communicat cum omnibus. Oliva. t. 3. conc. 5. die Merc. hebdom. 1. Quadr.

Sapientia abscondita, & thesaurus invisus; quæ utilitas in utrisque? Eccl. 41. 17.

Dabo vobis os, & sapientiam. Luc. 21.

15. Sed quare non os sine sapientiâ? quare non sapientiam sine ore? sed simul utrumque, os & sapientiam se daturum esse promittit. Nocet enim multoties os sine sapientiâ: inutilis est aliquando sapientia sine ore. Unde scriptum est: *sapientia abscondita &c.* Eccl. 41. Qui intelligit, loquatur; qui non intelligit, melius est, ut taceat; quam ut nociva, & fidei non convenientia, loquatur. Propter hoc enim ad tabernaculum construendum. Ex. 25. 3. *aurum simul, & argentum & as*, Dominus offerri præcepit: in auro namque sapientia, in argento eloquii puritas, in ære verò loquendi facundia, intelligitur. Sanct. Euseb. Emis. hom. in Natali plurimor. M.M.

Alii datur sermo sapientiæ &c. 1. Cor.

12. 8. Quia sapientia & scientia, à Deo nobis sic donatur, ut in alios derivetur. Sanct. Bernardus f. 13. in parvis: cætera charismata nobis dantur ad aliorum utilitatem. Unde Apostolus, cum de distributione donorum loqueretur, non ait simpliciter, alii datur sapientia, alii scientia; sed addidit dicens, *sermo sapientiæ*: ut eò tenderet, quòd hujusmodi dona propter alios dantur; scilicet ut alii ædificentur. Sylveira in Apoc. 10. 1.

Si mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ sitienti porrigit; quantum mercedem recipiet, qui animæ perpetuè victuræ salutaris sapientiæ aquam scribendo ministrat: quot enim literas debite formas, tot Deo laudis hostias offert. Thomas Kemp. conc. 20.

Nubes. Lem: *congregata dispergit.* Seneca ep. 6. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec annuntiam; rejiciam. Picinelli.

Conchilia. Lem: *abscondita in utilia.* Claudianus: vile latens virtus. Id.

Luna à sole illustrata. Lem: *acceptum communicat orbi.* Id.

§. VII.

Sapientia libenter interrogat, & discit.

Manhu! *quid est hoc?* Ex. 16. 15. Ipsa vis nominis ad discendum invitat; ut, cum audis Legem Dei recitari; inquiras semper, & dicas Doctoribus: *quid est hoc?* Orig. hom. 8.

Et interrogavit eum. 1. Reg. 3. 17. Ut quisque sapientissimus est, ita se facillimum præbeat ad interrogandum ea, quæ ignorat. Quis Deo sapientior? & tamen sæpe dicitur interrogasse. Interrogabat Adam, *ubi esset?* Gen. 3. 9. Cainum, ubi esset frater ejus? Gen. 4. 9. Abraham, ubi esset uxor ejus Sara. Gen. 18. 9.

Moysem, quid teneret in manu? Ex. 4. 2. Isaiam, quem mitteret? 6. 8. Jeremiam quid videret? c. 1. 11. Eliam, quid ageret? 3. Reg. 19. 9. Diabolum, unde veniret? Job. 1. 7. Si Deus, scientiarum Dominus, etiam notissima sibi, interrogat; quis nos inurbanus pudor ab interrogandis, quæ ignoramus, avocabit? Angeli interrogant II. 63. 1. quis est iste, qui venit de Edom? Gen. 32. 27. interrogat Angelus Jacobum: quod nomen est tibi? Mendoza in 1. Reg. 3. 17.

Venit Maria Magdalena annuntians discipulis &c. Joan. 20. 18. Quis sapientior Joanne? qui è latere Christi divinæ sapientiæ fontes potavit; & tamen mysterium resurrectionis ab una scemina didicit. Id. ibid. sect. 2.

Vir eloquens & potens in scripturis. Act. 18. 24. &c. Apollo, qui floruit in Ecclesiæ initiis, *Docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu.* Additur autem v. 26. *cum audissent Priscilla, & Aquila; assumpserunt eum & diligentius exposuerunt ei viam Domini.* S. Hieron. ep. 140. Apollo, vinum Apostolicum, & in lege doctissimum, Aquila, & Priscilla, erudiunt; & instruant eum de via Domini.

§. IIX.

Sapientia spectat æterna, cœlestia; non terrena.

Beatus vir, *cujus est nomen Domini spes ejus; & non respexit in vanitates, & insanas falsas.* Psalm. 39. 5. Beatus vir, qui non ab omni insania debet esse alienus, sed à falsa: quæ temporalia æstimantur, & æterna spernantur: ab hac cavet vir justus; & aliam prudentissimam insaniam tenet; terrena spernens, cœlestibus intendens. Sylveira. additam in Marcel 1. 9. 3.

Si quesieris eam, quasi pecuniam; & sicut thesauros effoderis illam. Prov. 2. 4. Qui thesauros effodit, ejicit rudus terrestris, facit in altum foveam; donec thesauros attingat. Et qui thesauros sapientiæ invenire desiderat; quidquid sibi terrenum, inesse deprehenderit, expurgat. V. Beda hic.

Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius. Eccl. 10. 2. Per dexteram bona, per sinistram mala dextera dat intelligere bona æterna; sinistra temporalia. Vult ergo dicere: quòd sapientes cogitant bona æterna, & ea cupiunt; & stulti temporalia. Sanct. Bonaventura hic. S. Hieron. hic: ille æterna, & cœlestia sapit & amat; hic temporalia, & æterna. Cor omnibus hominibus est in medio pectoris, ad terram tamen vergens, ut docet Galenus, & omnes Physici. Per cor ergo, non corporis; sed mentem, rationem, voluntatem, affectum, ejusque operationes, accipe. Sensus est: sapiens cor habet in dextera, id est, omnia sua promptè, expeditè, agiler, sapienter, feliciter, facit; stultus è contra. Nam in dextera corporis parte, ac manu, plus est virium, & agilitatis, quam in sinistra. Hieron. qui sapiens est, semper de futuro sæculo cogitat, quod ducit ad dexteram.

dexteram. Qui verò insipiens est, de presenti, quod positum est in sinistra. Cornelius hic. Si temporalia cupis, & negligis aeterna; stultus omnino es. Alij gemmas projiciunt hilariter; lutum verò, & stipulas, festivissimè coacervant. Quibus addas eos, qui umbras timent ut pardos; & pardis, ut agnis occurrant. Oliva l. 4. Strom. §. Perverfi difficile.

Damibi sedium tuarum assidricem Sapiaentiam. Sap. 9. 4. Non qualemcunque Sapiaentiam petit, sed illam assidricem sedium Dei, scilicet Cherubinorum, ut notat Lorinus, juxta illud Pl. 79. 2. *qui sedes super Cherubim.* Hæc autem Sapiaentia in gubernatore debet solum Deum, & cœlum attendere, non verò terram; ut erat in Prophetis Dei: ut nos docet ipse rex sapiens Salomon; petens talem Sapiaentiam, *quæ novit operatus; quæ esset tunc, cum orbem terrarum faceres.* Sap. 9. 9. Non quamvis sapientiam petit; sed specialiter illam, quæ affuit in prima creatione. In hac primò cœlum creatum, Gen. 1. 1. Hanc sapientiam postulat Salomon: ut prius meus ejus respiciat cœlestia, dein terrena. Sylveira addit. in Matth. 23. 34.

Requiescet super eum - spiritus sapientia, & intellectus. Il. 11. 2. Spiritus sapientia, sive sapientia est, donum, sive virtus Christiana; quæ contemplatur divina, & aeterna; & secundùm ea de rebus omnibus judicamus. Cornelius hic.

Ecce Magi ab oriente. Matth. 2. 1. Magi, non reges, dicuntur: Magi, id est, sapientes: quia insigniter hic magnam sapientiam ostendunt: regna, patriam, dereliquentes; ut solum Jesum querant, & adorent. Non aurum, pompam, purpuram, optant; sed invisibilia: quò ostenditur vera sapientia. Sylveira Addit. in Matth. 2. 9. 1.

§. IX.

Sapiaentia est memor mortis, novissimorum.

Sapiaentis oculi in capite ejus. Stultus in tenebris ambulat. Eccl. 2. 14. Chald. *sapiaentis contemplatur in principio, quod futurum est in fine.* Cajet. vident oculi sapientis caput, id est, principium operis, qui finis est; & consequenter, media congrua. Olympiodorus: sapientis oculos habet in capite: quia excelsa, cœlestia, & divina, spectat; eoque omnem cogitationem, actionem, studium, & intentionem, dirigit. Stultus verò oculos videtur habere in pedibus: quia non nisi terrena, vilia, exilia, cogitat; & amat. Cornelius hic.

Stulte, hac nocte &c. Luc. 12. 20. Hæc est maxima Sapiaentia, & maximum donum, scilicet. Sapiaentia moriendi; quæ non datur non bene viventi. Hugo Card. in Pl. 71.

O utinam saperes, & intelligeres, ac novissima provideres! Saperes, quæ Dei sunt; quæ Mundi sunt; provideres, quæ Inferni sunt: profecto inferna horretes; Suprema appeteres; quæ

sunt ad malum, contemneres. S. Bernardus ep. 292.

Est magna Sapiaentia frequentè cogitare de morte. Idiota Contempl. l. 5. c. 5.

Onerosè satis mihi est; quòd omnes coactans vestri in montem eminentioris scientia ascenderunt; & vos in cœno crassioris intelligentia cum asino remansistis. Gen. 22. 5. Priscianus, & Tullius, Lucanus, & Persius, isti sunt dij vestri. Utinam Magister saperes, & intelligeres, ac novissima provideres. Deut. 32. 29. Hæc Philosophia tibi jam decrepito pernecessaria esset. Blesensis epist. 6. ad quendam Ludi-Magistrum.

§. X.

Sapiaentia acquirenda media.

Sapiaentia ubi invenitur? & quis est locus intelligentia? abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum: nec invenitur in terra suaviter viventium. Job. 28. 12. &c. Quid per mare tumultuosum, & periculosum; nisi cor? quod semper superbia est tumidum. Quid per abyssum? quæ sine base est, id est, absque fundo est nominata? nisi corda avara; quæ sunt infatigabilia. Quid est suavis terra? nisi vita lasciva. S. Bonaventura l. 30. Dom. infra Oct. Epiph.

Perfruere vitæ cum uxore &c. Eccl. 9. 9. Mylicè S. Hieronymus: sapientiam sequere, & sapientiam scripturarum: & hanc tibi in conjugium copula; de qua in Prov. 4. 6. dicitur: *dilige eam; & conservabit te.*

Quem docebit scientiam? ablactatos à lacte. Il. 28. 9. q. d. Deus docere solet scientiam, & sapientiam, cor, qui avullus à deliciis puerilibus, à vita imperfecta, & carnali; quasi viri capaces sunt solidi cibi, id est, scientia. Judæi autem hæc delicijs vini, & ebrietatis, gaudent; nec supernas, & solitas, captant. Ergo quasi pueri indociles sunt doctrinae, & monitionis, divinae. Corn. hic.

Sapiaentia emi non potest terrenò numismate: nec in foro, sed in cœlo, venditur. Clem. Alex. pedag. l. 2. c. 3.

Si, dicendo te sapientem esse, stultus factus es; dic te stultum, & sapiens eris. S. August. de Verb. Dom. l. 3.

Philosophus quidam in foro proclamabat, se intellectum, & sapientiam, venditurum emere volentibus. Quod cum princeps regionis illius intellexisset, misit ad eum nuntios cum nummis. Philosophus autem detexit illis schedulam, in qua hæc sententia exarata: *in omnibus, quæ facturus es, semper cogita, quid tibi possit accidere.* Quod responsum, licet risu exceperint nuntij, rex tamen magni aestimavit; & illa verba aureis literis in ostio palatij sui inscribi jussit. Cogita & tu in omni actione, quid tibi possit accidere? præsertim cum id, quod intendis facere, peccatum est. Quid si in eo moriaris? quid si non confiteri possis? quid multis acciderit, perpetrato etiam unicò peccatò mortali? Diez fer. 6. Dom. Pass.

§. XI. Sa-

XI.
Sapientia Dei, Christi.

Figuræ.

Dillos quoque Cherubim aureos. Ex. 25. 18. Hi Cherubini significant angelos, qui sunt quasi stipatores Dei. Hinc gestant quatuor stemmata, & insignia, Domini sui Ezech. 1. 10. Species aquilæ significat Dei sapientiam. Homo bonitatem, mansuetudinem, & clementiam. Bos iustitiam religionem, & cultum ei debitum; quod scilicet bobus, aliisque victimis, sit colendus. Leo fortitudinem, & potentiam. Cornelius hic. Aquila sapientiæ Symbolum: aquila enim, ut ait Plinius l. 36. c. 3, clarissima est oculorum acies.

De eadem sapientia.

Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius. Ex. 4. 10. Etsi enim eruditus esset omni sapientiâ Egyptiorum. Actor. 7. 22. tamen ab heri, & nudius tertius, postquam Deum loquentem audivit, intellexit ruditatem suam. Stengelius t. 1. iudic. div. c. 21.

Devoravit virga Aaron virgas eorum. Ex. 7. 12. Sic & sapientia Dei devorat, & consumit, omnem sapientiam hominum. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 36.

Diviserunt sibi vestimenta mea. Pf. 21. 19. Vestimentum ejus, quod non erat confutum, sapientiam ejus coelestem possumus approbare. Nostrum enim confuitur: quia quaeritur, & per partes acquiritur. S. Ambros. hic l. 3.

Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. Prov. 8. 30. 31. Quem alium arbitrari possum ludum in eo, nisi dilectionis gaudium? Ludus enim erat amabilis Deo Patri; videre in sapientia sua, quæ facturus erat. Primò beatam cœli curiam, pulchramque Rempublicam denis Angelorum ordinibus distinguendam: deinde visibilem Mundi hujus architecturam, sphericam cœli cameram. &c. Nam de his omnibus ait Evangelista Joannes 1. 4. *quod factum est, in ipso vita erat.* Quid verò est, quod addit? *& delicia mea &c.* Nisi quòd jam tunc in eadem sapientia provisum & hoc erat, in humana acquiesceret natura; & caput hominum effecta, sanctorum, & sapientium, sibi met consociaret sibi in suis deliciis agmina? Hæc, inquam, videre, antequàm fierent, ludus erat DEO, & sapientiæ ejus; ludus festivus, ludus jucundus, ludus deliciosus. At verò de hujusmodi gaudere, hæc omnia spectare cum hilaritate, in cordis amplitudine, amor est sapientiæ; amor studiosus, amor sanctus; quem supra Spir. S. esse diximus. Rupertus div. offic. l. 11. c. 8.

Meliora sunt ubera tua virò. Cant. 1. 1. q. d. tua tantum divina ubera cupio: nam terrena, & mundana, respuo. Nam, ut ait Philo Carpath. doctrina sacra præstat cuicumque doctrinæ humanæ. Illa procedit à sapientia, quæ de sursum est; velut lac ab uberibus Dei fluens: hæc verò ex imo est terrenæ sapientiæ; instar vini, quod è terra nascitur; mentem exturbat, noxios vapores in capite efficit. de Ponte hic Exh. 7. §. 3. Quantumcumq; sapiamus, quam diu in corpore

sumus ad illam Dei sapientiam infantulis abecariis similes fumus: & nobiscum bene agitur, si vel prima ejus elementa consequamur. S. Rupertus l. 4. c. 30. in lib. Reg.

Omnes artes subserviunt divinæ sapientiæ; & inferior scientia rectè ordinata ad superiorem conducit. Richardus à S. Viçt. l. 2. c. 4.

Liber vitæ est sapientia Dei; in qua rectè omnes electi dicuntur scripti, & ad vitam æternam sunt prædestinati: ipsa namque prædestinatio, ipsa est sapientia. Id. in Apoc. l. 1. c. 9.

Eadem sapientiâ, quæ cuncta ex nihilo creata sunt, nè deadeant in nihilum, gubernantur. Sim. Cass. l. 1. c. 1.

§. XII.

Sapientia Mundi in rebus malis terrenis.

Buonem, & mergulum &c. Levit. 11. 17. Noctua in nocte volat, & diem odit; quam non videt propter visus debilitatem. Et significat sapientes Mundi; qui cœci sunt in spiritualibus, videntes in temporalibus clarè. Hugo Card. hic.

Fili insipientes sunt, & vecordes &c. Jer. 4. 22. Sapientes sunt, ut faciunt mala; bene autem facere nescierunt. Pisces in aqua velociter se gyant, & movent; ab aqua extracti velut mortui sunt. Sic filii sæculi in vanitate prudentes, astuti, & agiles, sunt: extrahere illos ad spiritualia; torpent, languent, velut mentis inopes. Vespertilio nescit die volare, nisi nocte. Diez Sabbatho D. 4. Quadr.

Nos autem non spiritum hujus Mundi accepimus. 1. Cor. 2. 12. Spiritus Mundi potest dici sapientia hujus Mundi, & amor Mundi; quò impellitur homo ad agendum ea, quæ Mundi sunt. S. Thom. Aqu. hic Lect. 3.

Frates, nolite fieri pueri sensibus; sed malitiâ parvuli estote. Deus enim vult vos ad res terrenas stultos esse; sed ad cœlestia prudentes. S. Athanasius Alex. lib. de virginit.

Quantò magis foris es sapiens, tantò magis intus stultus efficeris. S. Bernardus s. de miseria hum.

Noctuarum oculis similes habentur sæcularis sapientiæ possessores: nam & illarum aspectus noctibus quidem ærior est; exortò autem sole cœcatur: sicut istorum, cum sit acutissimus ad contemplandam vanitatem sensus; erga inquisitionem veræ lucis hebescit. S. Basiliius Cæsar. hexam. l. 8.

Appendix.

Fili sapientiæ Ecclesia justorum. Eccl. 3. 1. Nota: vox *filii* apud Hebræos cum jungitur Genitivo præmii, vel pœnæ; idem est, quod *dignus*: ut filius gehennæ, est dignus, & reus gehennæ; filii regni, sunt digni regnò cœlesti. Cum verò vox *filii* jungitur Genitivo virtutis, aut vitii; idem est, quod studiosus, & discipulus; qui studet virtuti, aut vitio. Hic enim ex virtute virtuosus, vel ex vitio vitiosus, se efficit, & efformat: ut ex virtutis, aut vitii, institutione, vel illecebrâ, quasi ex semine, progratus censeferi possit. Filii ergo sapientiæ sunt, qui student sapientiæ; qui sapientiæ dicamina avidè hauriunt. Cornelius hic.